

DEI SUPERIORUMQ; INDULTU  
*De*  
HABITUS ACQVI-  
SITIONE,

*Disquisitio Philosophica Prior*  
Circa

Illius Subjectum

*potissimum occupata,*

*&*

Ventilationi Publicæ

Exposita

*à*

PRÆSIDE

M. VALENTINO ALBERTI,

Sil. Colleg. B. Virg. Collegiatio.

*Respondente*

ANTONIO THEOPHILO SANO,

Laubâ-Lufato, Magist. Candidato,

XIV. CAL. JANUAR.

ANNO M DC LVII.

H. L. Q. C.

---

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS-ERICI HAHNII,

*32.*

*LXXVI*

*a. 1. 71.*


Coll. diss. A  
1, 71

HABITUS A GOVI



IN VALLIANTIAV

1771



THES. I.



Ufus certè vocabuli erat, quum Carthaginenses olim decepti Civitatis nomine de urbe & ædificiis retinendis infeliciter sibi gratulabantur. Sed lusus erat, quo urbium nobilissima, mater Heroum atq; Patria deperdebatur. Habere se sperabant, quod in votis habebant, & civitatem in Urbe, hoc est, Privilegia & immunitates civium in eodem foro, in ædibus iisdem atq; muris expectabant; in quo tamen frustrà erant infelicissimi Latinæ Lingvæ Interpretes, quum Romanorum Consul *Censorinus* Civitatem ex Urbe & immunes ex ædibus incolas discedere vel ut *Florus* loquitur *lib. 2. c. 15. si salvi esse, vellet, ut migrarent suis*, spem contra juberet. Vide sis hanc historiam optimè descriptam apud *Appianum in Lybico*.

Th. 2. Si civilia hæc & publica negotia cum privatis nostris studiis conferre liceat, infelici pariter negotio cum adversariis hinc agemus, & habitum nos habere miserè persuasi, spe nostra excidemus, nisi cum iisdem de Voce prius ejusdemq; significatione, omni ex parte conveniamus.

Th. 3. Quamvis vero varias hujus Termini acceptiones invenire liceat, eas tamen omnes hinc congerere, superfluum ducimus, quum Nomen hoc per acquisitionem limitatum respuat per plures, quædam verò in controversia hac fucum nulli facere possint. Vide tamen si placet *Arist. in predicam. c. ult. & in 3. Metaph. c. 20. & 23.* & ut ex tot Interpretibus unum saltem nomen *Suarezium disp. Metaph. 42. sect. 3. num. 2 3. 4.*

Th. 4. Accuratè tamen præcavendum hic erit, ne pro vero habitu, & strictè sic dicto species intelligibilis, impressa præcipuè, aliquando subrepat, quæ in acquisitione pariter & duratione secundum plurimum opinionem habitum referre consuevit. Nihil enim

enim nobis cum illa hoc in loco, quum simpliciter ad actus sit necessaria, quod habitui repugnat, quo sine potentia actum exercere potest imò debet, quum aliàs ipse produci non possit (produci enim per actus præcedentes,) aut ante sui productionem productus esset, quod oppidò absurdum est, & ἀφίλοσοφον. Quomodo vero hæc ab habitu differat ulterius *quest. 4. super lib. 3. de Anima declarat Murcia*, & quæ habitus vocari possit explicat *Fonseca peculiari quest. in Metaph. Aristot. l. 9. c. 5. quest. 1. sect. 4.*

Th. 5. Atq; hinc I. Sole clariùs elucet quod in limine statim rejiciamus *Platoniorum* somnia, quibus eorum Antistes in *Phædro, Menone, & Decimo de Republica* non tantum Animos sed rerum etiam quarumcunq; notionem ex idearum influxu haustam in corpora hæc nostra, uti vocat, crassa, reducit, & per reminiscentiam, debili certè reminiscentiâ, ex iisdem elicit atq; derivat. Sed sufficiat rejecisse, cum causam hîc nostram orat *Philosophus ipse in libris de Anima*. Et si Recentiores requirantur prolixè ea refutarunt *Dd. Conimbr. in L. post. Arist. c. 1. quest. 1. Art. 1. 2. 3. Fonseca in Metaph. Arist. c. 1. quest. 4. sect. 2.*

Th. 6. Eademq; lege inclinationes quasdam, quas vocant naturales, removemus, ineptas nimirum, nobilitatem habitus participare, cum remotè saltim & è longinquo habitum respiciant, in quem demum intercedentibus actibus, se extendere possunt. Et, si in quibusdam fortè major difficultas occurreret, aliena tamen esset ab instituto nostro, cum in exemplo habituum involuta, in speciali doctrina expediri petat. Quemadmodum enim liberaliter disputaret ille, qui sollicitus de Reipublicæ forma, ut sic imperium Romanum, Monarchicum, aut mixtum ex hac & Aristocratiâ demonstraret: ita nos in generaliore acquisitionis forma occupati, nondùm eò demittimur, ut exempla quævis delibemus, quæ generalis nostra methodus respuere videtur. Imò nullò planè modo huc pertinere dicerem, cum secundum hanc opinionem cõgeniti essent, nõ acquisiti, habitus, de quibus nobis hîc sermo erit.

Th. 7. Intelligimus enim exclusis significationibus reliquis qualitatem quandam acquisitam, proximè ordinatam ad adjuvandum potentiam in operatione sua, & consequenter secundum rem & essentiam & à potentia & ab actu distinctam, *Svarez. 44. Metaph.*

*Metaph. disp. sub init.* Vel accipimus hinc propriam quandam qualitatis speciem, productam ab actibus, (determinantem) inclinantemq; ad actus similes his, à quibus est producta, *Arriaga disp. 9. de Anima sect. 2.* Quæ descriptio dupliciter à nobis consultò affertur, ut controversiæ profunditas feliciùs faciliùsq; exhaustiatur, quod fieri hoc modo infra videbimus.

Th. 8. Nec aliena est à nostro hoc instituto Philosophi descriptio, quam 2 *ad Nicom. c. 5.* tradit: ἔξῃς, καὶ ἂν πῶς τὸ πῶς ἔχομεν εἴη ἢ κακῶς, quanquam priores etiam cum Autoribus hinc adhibendæ fuerunt propter quæstiones, quibus omninò, quia nomen & statum controversiæ declarat, respondere debet.

Th. 9. Et, quemadmodum definitiones illæ, quomodocumq; tandem sese habeant, inter nos & Adversarios litem sæpè diriment: Ita Experientia nos omnes prius de existentia habitum certiores reddit, quorum acquisitionem illosq; ipsos tam manifestè demonstrat, ut, præter argumentum ab indifferentia potentialium deductum (quod in potentiis rationalibus ratio à priori plurimis est) omnium communiter Philosophorum vota atq; calculos meruerit, ità quidem ut præter *Johannem Majorem in 4. dist. 4. quest. 1.* citatum à *Fonseca l. c.* neminem viderim, qui horum existentiam in dubium vocare audeat, quanquam hoc *Scoto* ab aliquibus etiam attribuitur; à quibus non procul recedit hodiè *Oviedus* in hac doctrina, de quo inferiùs redibit sermo.

Th. 10. Compendium verò hinc exhibet experientia, quippe quæ eadem omninò & unica, & existentiam probat & ipsam simul quidditatem non obscurè explicat. Quando enim te facilius operari deprehendes, postquam semel celsasti ab operatione, inde omninò colliges ab actibus prioribus relictum fuisse in te aliquid, quod facilitatem hanc seqq. actibus communicavit; quemadmodum contrà in vegetativis potentiis, in virtute digestiva & retentiva impedimentum adesse colligimus, si quando segniùs officio suo defunguntur.

Th. 11. Atq; cum illud, quod ab actibus relinquitur accidens sit atq; qualitas, uti juxta communem opinionem hinc præsupponimus: ideò subjecto etiam & causa quam vocant materiali indiget, quam admittendam esse præter rationem, quæ accidentibus

bus omninò omnibus hanc attribuit, attestatur experientia, secundum quam in potentiis capacibus habitus, eosdemq; diversos ipsi experimur.

Th. 12. Quæ ratio præter subjectorum necessitatem nobis etiam specificationem eorum quodammodò exhibet, ut scilicet non anima, & multo minus suppositum, sed potentia ipsa pro materiali causa agnoscat, cum natura quodlibet accidens subjecto fini illius proportionato dedicare consueverit; quanquam aliàs non multum repugnabo, ad rationem causæ, sufficientem simultatem habere habitum uti loquitur *Murcia super Librum 3. de anima quest. 2.* etiam si immediatè sit in anima. Declarat ibidem laudatus Autor sententiam nostram eâ proportionem, quæ est inter habitum & actum, qui ita ejusdem ordinis esse videntur, ut habeant eandem causam materialem, sicut primæ & secundæ qualitates, quæ propter similem rationem in eodem subjecto collocantur.

Th. 13. Nec enim in potentia suscipi tantum petit habitus, sed ab eadem produci etiam gaudet, cum actus ipsi, habituum generatores in nullo etiam alio subjecto exerceantur, quemadmodum qualitates secundæ, à primis hæc ratione in eodem subjecto produci debent, & sicuti secundæ qualitates absq; primis generari non possunt; ita absq; actibus habitus produci nequit, nisi quod absurdum est Filium absq; parente agnoscere velis. Et nulla aliàs potentia acquirit majorem facilitatem aut promptitudinem ad peculiare aliquod genus operationum, per id solum, quod in re alia efficit, quod cernimus in luce Solis & calore ignis, quæ qualitates non propterea facilius aut promptius illuminant, aut calefaciunt, quia prius illuminaverint aut calefecerint, uti concinnè loquitur doctissimus *Fonseca in Metaph. Arist. L. 9. c. 5. quest. 3. sect. 1.*

Th. 14. Et exindè constat talem potentiam immanenter esse operativam, vel quod perindè hîc est esse passivam simul, & operativam. Operatur enim in se ipsa, & absente etiam externo Objecto, sibi soli relicta producit habitus, quos recipit, iisque largitur existentiam, qui illi facilitatem reddunt. Atq; hisce duobus modis potentias hæc considerari posse, attestantur *Conimbricenses in 2. de anima c. 6. quest. 1. art. 2. Ruvio tract. de objecto sensus quest. 1. §. 24.*

1. S. 24, *Racōnis tract. de anima sens. p. 215. Eust. à S. Paulo Pb. p. 47.*  
3. *tract. 3. disp. 1. quest. 1. concl. 4.*

Th. 15. Quemadmodum verò hæc actio immanens iterari non potest nisi custodire possit potentia speciem, quæ ad repetitionem actuum sit administra: ità neq; habitus produci potest, nisi eadem potentia facilitatem per actus productam conservare, & ad novos usus tueri possit. Dixi verò ad novos usus ut pro ea, quæ immanenter operatur facultate, elicere iterum intelligatur potentia actus similes sub facilitate habituali. Absq; hoc enim habitus in potentia otiosus esset, nec intelligi posset, nisi aliquando post cessationem iterum revocati ad operam majori promptitudine nos operari deprehenderemus.

Th. 16. Et quemadmodum propter intrinsicam hanc perfectionem natura benignissima potentiis habitualibus præ reliquis hæc omnia elargitur; ità præcipuè attribuit potentiis rationalibus hanc aptitudinem, ut, quia indifferentes sunt, & suo modo liberæ ad bene & male operandum, se ipsas tamen per habitus perficere possint. Absurdum enim videretur, naturam concessisse tantum iisdem potentiam perficiendi alia v. g. domos, naves &c. non vero perficiendi seipsas, uti loquitur *Fonseca cit. supra cap. quest. 1. sect. 2.*

Th. 17. Hæc vero perfectio non absolvitur in sola facilitate potentia quæ per habitus præstatur; verum maximam partem spectat determinationem, quâ habitualiter indifferentia potentia tollitur, & ad unicam speciem v. g. temperantiam reduci-  
tur. Atq; hoc ultimum requisitorum ego primarium judico, quicquid obijciant *Fonseca, Murcia, Franciscus bonæ spei*, aliq; in hac doctrina: Urget me potissimum, quod facilitas, quam illi principaliter admittunt, naturâ sit posterior, habituali hæc determinatione, eamq; consequatur. Declarabo per simile: Quemadmodum v. g. Lan-  
cem aptam natam esse videmus, ut in hanc atq; in illam partem incli-  
nari possit; imposito tamen pondere ad alterutram determinatur, quæ determinatio, cū sine gravitate fieri nequeat, facilitatē simul pro-  
illius intensione consequentem agnoscit: ita voluntas v. g. per na-  
turam libera, objecti ut sic loquar pondere determinatur ad hanc  
vel illam actionis speciem; quia vero hoc accidere non potest sine  
aliqua

aliqua in objecto complacentia; ideo facilius etiam in illud rapi-  
tur potentia, unde habitus à *Mendoza* Pondus, à *Comptono* incita-  
mentum atq; illecebræ vocari consueverunt. Sic ego discurre-  
rem, quæquam pluribus hac de re agendum minimè puto, quum  
litem de nomine ἀφιλοσόφως reciprocare videamur. Mecum  
vero consentientes citare possum *Thomam*, *Suarez*, *Mendozam*,  
*Arriagam*, *Carleton*, *Oviedum*, aliosq; in hac doctrina, *Scheiblerum*  
*l. 2. Metaph. c. 8. sæpius*, & *Hornejum l. 4. Ethic. c. 1. num. 3.*

Th. 18. Atq; hæc ipsa ratio compendium nobis est ad reji-  
ciendas adversariorum opiniones, quibus spuria aliquando subje-  
cta legitima reddere allaborârunt. Imbibit enim in sese rationes  
eas omnes, quas antevertere voluimus ordinem non dignitatem  
hujus nostri requisiti, quod ut diximus principale judicamus. Cer-  
tè, ipse quoq; *Philosophus* eadem ratione naturaliter agentibus ha-  
bituum receptivitatem denegat, quando *2. Ethic. ad Nicom. c. 1.*  
ἐδὲν γὰρ τῶν φύσει ὄντων, ἄλλως ἐδίξεται, ὅτιον ὁ λίθος  
φύσει καὶ τῷ φερόμενῳ, ὡς καὶ ἐθιωθεὶν αἴω φέρεσθαι, ἐδ' αὖ μὴ  
εὐακίς αὐτὸν ἐδίξῃ τις, αἴω ρίπτων. ἐδ' τὸ πῦρ, καί τῳ. ἐδ' ἄλ-  
λο ἐδὲν τῶν ἄλλως πεφυκότων, ἄλλως αὖ ἐθιωθεὶν. Haecenus  
*Philosophus*. Et ratio mihi potissima hæc est, quia habituali de-  
terminatione ea non indigent, quæ naturaliter determinata sunt  
ad certam actionem. Absq; eâ enim tam facile operantur, quàm  
cum illa; quæ enim major facilitas potest esse quàm necessitas,  
quâ potentia quasi præceptus fertur in actum non valens pedem siste-  
re? eleganter quærit *Mendoza disp. 16. de Anima sect. 2. §. 4.* Aliàs  
enim quis diceret, luci addendum esse habitum, quo producat lu-  
cem, ut minori concursu & conatu eam efficiat. *Comptonus disp. 28.*  
*de Anima sect. 1. num. 5.*

Th. 19. Atq; hisce præsuppositis non possumus non dene-  
gare habituum acquisitionem brutis omnibus & singulis, quippe  
ratione & indifferentiâ destitutis. Militare quidem videtur con-  
tra hoc experientia, quia scilicet actibus suis probant bruta, se parti-  
cipare consuetudinem & experientiam, quæ vel ipsi sunt habitus,  
vel absq; eo esse non possunt. Nec probabile videtur, consistere  
illas facultates in sola specie sensibili, quæ ex parte objecti determi-  
nare quidem potentiam non vero ad iudicium, si ita loqui licet  
hoc



hoc vel illud deducere potest. Ex. g. Bos naturali instinctu appetens cibum, & hunc in individuo nocivum deprehendens, præter cognitionem illius per speciem factam, ex parte etiam potentiae per plures actus facilitatem acquirit, secundum quam cautius deinde cibum appetit, quod omnino videtur esse habitus.

Th. 20. Frustrâ tamen propter hoc poneretur, in subiecto incapaci hæc qualitas, cum per species solas munus illud procurari possit, tam quando objectum præsens est, quam quando est absens & per Vicarium solam puta speciem agit. Præsentem quidem objecto à specie Phantasiam ad iudicium determinari testatur experientia, quæ, specie nondum sufficiente, iudicium etiam suspendi, donec fortior fiat, expressè demonstrat, v. g. in Eqvo vel Asino, qui impeditus & specie quâdam objecti terribilis à motu progressivo quasi revocatus, pergere iterum in eodem incipit, cum ab insidente incitatur, & fortiori hoc modo specie ad progrediendum animatur. Absente verò objecto consuetudo aliquid omnino confert, quod fatemur, nondum tamen habitus erit, cum salvari possit in specie per actus plures memoriæ fortius mandata, quæ pro hinc & nunc ita vel aliter sese habens, Phantasiam variè determinat. Unde etiam illud, quod habitum magis propriè refert, rationem sapit, in alio licet subiecto, homine puta, existentem, uti patet in Equis, Elephantis, aliisque ad artificiosas actiones assuefactis, ubi signa, quæ à Directore adhibentur ad admiranda sæpè hæc animalia incitant, quod deducere possem, nisi res ipsa loqueretur, & experientia quotidie hoc spectandum, exhiberet.

Th. 21. Atque hoc ipsum etiam reponimus ad argumentum *Fonseca*, qui l. 9. in *Metaph. Arist. c. 5. qv. 3. Sect. 1.* interioribus brutorum sensibus facilitatem habitus adscribit; quia, uti loquitur, ex naturalibus causis, à quibus internè aut externè moventur, interdum circa unum oppositum, aliàs circa aliud exercentur, & sæpè diutiùs circa unum, quam circa aliud versantur: atque ita ex qualitatibus, quæ ex earum potentiarum actibus relinquuntur, faciliùs illæ ac promptiùs similes operationes repetunt, & assuetudine augent. Declarat idem, probatque memoriâ, quæ in plerisque animalibus est maxima & tenacissima, v. g. in aviculis, quæ ex longissimè distantibus regionibus redeunt, ad ea reconditissima loca, in quibus

B

bus

bus nidos anno superiore extraxerant; in psittacis, locutionem humanam imitantibus, & in caniculis, certâ quâdam ratione salientibus aut saltantibus.

Th. 22. Taceo, loqui illum de improprio habituum genere, non de eò, de quò nobis est sermo, &, quod strictè acceptum, potentiæ indifferentiam determinare & inclinare debet. Sufficit enim illi ad habitum, facilè operari in obsectorum absentia, & circa opposita versari posse; quod, quemadmodum ipse fatetur ejusdem *num. initiò*; ita nobis non contradicit, qui propter rationes suprâ allatas plura requirimus.

Th. 23. Nos ipsi quoq; fatemur aliàs, aliquibus animalium vim memoriæ longè maximam competere, illiusq; virtute stupenda sapiùs atq; admiranda præstare, cujus rei exempla apud veteres, *Philosophum ipsum, Plinium, Ælianum, Plutarchum, Strabonem*, & in compendio qf. atq; idea apud *Lipsum in epistola primæ Cent. 50 ad Janum Hautenum* legere, sæpè etiam ipse videre potes; sed exindè ad habituum receptionem argumentari non licet. Atq; hoc ipsum animadvertens *Philosophus*, experientiam quibusdam attribuere non dubitavit, *l. 1. Metaph. capite 1.* quibus tamen *l. 7. Eth. ad Nicom. c. 1.* expressè habitus ipsos denegat: & dè *ἡμεῖς* inquit, *ἔσι κακία, ἔδεν ἀρετή.* *Neg, fera est vitiositas neq; virtus.* Nec facilè illi quis contradixerit, qui brutis rationem egregium illud humanæ naturæ privilegium, cum sanioribus denegabit.

Th. 24. Hactenus itaq; de brutis. In homine vero licet plurimas, saltem non omnes actiones Ratio gubernet, iisq; qf. præsideat: nulla tamen potentiarum habitus recipere potest, quàm ea, cui *l. formaliter, l. participativè* indifferentia quædam inest. Et hæc est causa, quod præter definitionem *Suarezij, Arriagam* etiam in limine admiserimus, ut hoc modo status controversiæ & nostra pariter opinio meliùs, clariùsq; proponeretur, quàm supra etiam probatam dedimus.

Th. 25. Rejicimus autem hòc pacto facultatem locomotivam, cujus indifferentia omnis extrinseca est, ipsa vero despoticè, stylo stagyreò, à potentiis superioribus regitur, quibus necessitate naturæ, & ad nutum obedire cogitur, adeò quidem, ut aliquando,  
con.

contra voluntatem nostram, ab externo regi possint, uti patet in actionibus invitis, quando v. g. fures ascendunt scalas, aut in locum supplicii tendunt.

Th. 26. Nihil vero hinc dicam, transeuntes esse illius actiones, secundum *Aristotalem*, quippe quæ nec in eadem manent potentia, nec in eadem subjecti parte, quia animal non se movet per se primò, sed per unam partem movet aliam, quod in objectionibus præcipuè manifestum est, directis ad illos motus, qui ex subjecto etiam in aliud procedunt, uti fit in cytharæ pulsatione. Vide, si placet, *Svarezius* *disp. 44. Metaph. sect. 2. n. 1.*

Th. 27. Sententiæ contrariæ fuisse quosdam, *Scotum* in 3. *dist. 33. qu. unica. §. Ad primum. in solut. ad 3. Gabriel. in 3. dist. 23. qu. 1. art. 1. dub. 1. Ockam. quod lib. 3. qu. 17.* testatur *Svarezius* Qui omnes, licet indifferentiam propriè sic dictam attribuere illis potentiis noluerint, sufficere tamen indifferentiam ad varios motus crediderunt. Probabilis etiam aliquò modò reddi potest, quia experientia probat, per actiones illas repetitas majorem agendi potestatem acquiri, ita quidem, ut illis sæpius peractis, absqve intentione mentis hæc peragere possimus; nec acquiri, si absint, ut ille, qui theoriam in mente habet, absq; praxi, ægerrimè vix ullam actionem decenter obire possit, uti sæpius demonstrant illi, qui gallinæ sectionem in ligno præeunt, aut in ipsis corporibus imitantur.

Th. 28. Verumenimverò hæc omnia partim & præcipuè ad phantasiam, intellectum, & voluntatem ipsam referri possunt, utpote quas inferioribus hisce potentiis Natura præesse voluit; partim, si omninò hæc potentia (quæ suò modò instrumentum est superiorum facultatum) perfectionem aliquam in se recipit, magis quidem quam v. g. malleus, &c. facilitas hæc tantum passiva est, & hoc propter inepta ad habitus constitutionem, nisi dicere velimus, nutritivas etiam vires, ad abstinentiam l. moderationem, assuetas, habitum participare; aut viam quoq; eundem acquirere, quæ propter frequentationem curruum, sed passivè tantum facilitari solet. Quemadmodum enim hinc propter attritionis frequentiam terrenæ partes, inductâ lævitate, vehicula faciliùs promovent; Ita in loco motiva nervi & partes corporeæ propter

freqventiores actus, d. passivè solùm, faciliores redduntur, ut imperia superiorum facultatum expeditiùs admittere, & procurare possint.

Th. 29. Quemadmodum verò hæc passiva facilitas necessariò adest, ut habitus internus suo officio legitimè fungi possit, quod superior objectio probat, & hæcenus concessum est: Ita hic habitus ipse semper adeste tenetur, ut dirigat eam, quæ per se inepta est ad operandum, facilitatem passivam. Undè perspicuum est, absq; omni intentione actiones hæc exerceri non posse, quod novissimè omniù obijcit *Franciscus bonæ spei phys. part. 4. d. sp. ult. dub. 1. resol. 2 n. 16.* quamvis aliquando propter eximiam facilitatem, l. propter reflexionem non adhibitam, adeste vix deprehendatur. Imò, probabiliùs est in Philosophia, etiam quoad substantiam fieri non posse hunc motum animale, sine actuali usu phantasiæ & appetitùs, nedum, quoad modum artificiosum, uti loquitur *Svarez in citatis sæpè locis.*

Th. 30. Et certè, si intentio illa abesse posset, memoria in digitis, in pedibus esse deberet, quæ actus prioribus similes repeteret, aut ad repetendum facultatè subministraret, quod oppidò absurdum est, & refutatum à *Scaligero contra Cardanum Exercit 307 n. 37.* declaratum verò exemplò urbanitatis à *Scheiblero, l. 2. Metaphys. c. 8. artic. 3. punct. 3 n. 76.* quò ipsò contradictionem etiam tollit, quæ aliàs in hoc § 60. num. apparenter habebatur.

Th. 31. Atq; eadem planè ratio excludit sensus externos, qui omnes determinati sunt per naturam, ad hanc notionem, ut indifferentia, eiusdemq; determinatio aut inclinatio hinc quidem intelligi non possit. Uti nec facilior reddi potest, nisi per accidens, si l. in organo humor aliquis, l. in medio impedimentum removeatur, aut in objecto deniq; major luciditas appareat. Et hæc communissima est sententia, & dubiò omni caret.

Th. 32. Aliter tamen dicendum est de sensibus internis, phantasiâ, & appetitu sensitivò. Quamvis enim utraq; potentia naturaliter agat, & voluntatis imperium suo modò veneretur: conveniunt tamen non aliquibus solùm conditionibus cum potentiis rationalibus, ut passivæ sint & activæ, l. receptivæ suorum actuum, ut ipsæ etiam speciem de objecto absente, l. re præteritâ ad usus

NOVOS

novos reservare, & ex eadem actus prioribus similes, & ex hisce habitus elicere possint: Verum etiam peculiari aliquo modo voluntati parent, ita quidem, ut ipsae tamen simul ad actionem concurrant & indifferentiam ad obediendum & repugnandum ex seipsis habeant, ut loquitur *cit. l. Hornejus n. 6.*

Th. 33. Indè saepius accidit, ut phantasia motuum excitatione, partim non advertente intellectu, voluntatem antevertat, partim intellectu, etiam advertente & internunciò appetitus sensitivus voluntatis imperium respuat, illiq; contrarietur. Expressit hæc omnia clarissimè *Philosop. l. 1. Polit. c. 3.* Τὸν νῦν, inquit, τῆς ὀρέξεως ἀρχεῖν πολιτικῶν καὶ βασιλικῶν ἀρχῶν. Et alio in loco appetitum sensitivum comparat τοῖς ἀφελυμένοις ἔσωματῶ μωλοῖς, quæ saepè, cum dextrorsum impelluntur, sinistrorsum feruntur.

Th. 34. Atq; ut hoc rectius percipiatur, probè annotandum est, duas esse ad actus propensiones in appetitu sensitivo, unam, quæ dicitur propria, & ordinatur ad bonum sensûs; alteram, quæ huic & voluntati communis est, totiusq; suppositi bonum spectat, in quo bono etiam includitur bonum rationis. Quemadmodum itaq; objectum duplicis hujus inelinationis est diversum; ita ipsae etiam impedimento sibi sunt saepissimè, ita quidem, ut ea, quæ per hanc appetit appetitus, per alteram saepè refugiat, atq; adspernetur. Quomodo itaq; ordinatè hinc & juxta rationis regulam appeti quid poterit, nisi appetitus ipse per habitum justè inclinetur, atq; determinetur?

Th. 35. Atq; hoc illi probè cognitum habuere, qui l. virtutes ipsas in moderandis passionibus occupatas, l. habituales earundem dispositiones & complementa ad appetitum hunc referre voluerunt. Utriusq; opinionis Promachos committit *Fonseca in l. Metaph. Arist. 9. c. 5. qu. 3. sect. 2. 3. & 4.* eosq; sub finem sect. 2. amicè pariter ac eruditè componit. Prioris quidem opinionis sunt *Aristoteles ad calcem 1. Ethic. Thomas 1. 2. qu. 56. art. 4. Bonaventura, Durandus, Aegidius, aliq;.* Alteri verò subscribunt *Henricus quodl. 4. qu. 22 Scotus in 3. dist. 33 & ibidem Richardus, Osbanus, Gabriel, Fonseca ipse & Recentiorum per plures, quorum nonnulli, secuti Philosophum, idè etiam angelis, & animabus separatis fortitudinem & temperantiam denegant, cum virtutes illæ prære-*

quiritant passiones in appetitu sensitivo corrigendas, quod illis repugnat. Videri possunt *Dd. Conimbr. disp. 7. In 1. Eth. Arist. qu. 5. art. 3. §. Ex dictis.*

Th. 36. Et, quemadmodum hoc illis argumento erat, in appetitu sensitivo esse habitus atq; inclinationes: Ita simili ratione, eaq; minùs dubià ab *Aristotele*, illiusq; sectatoribus Intellectus ad habituum receptionem admittebatur. De *Aristotele* res est certa, qui virtutes, intellectuales à subjecto dictas, in intellectu non solùm agnoscit; verùm etiam earum quasdam comparat virtutibus moralibus *9. Metaph. §. 2 Ethic. c. 1.* De *Thoma* variant sententia, & utraq; pars ejusdem expetit calculum. Certum tamen est, agnoscere eum habitus in intellectu, quamvis incertior sit habituum explicatio, quos agnoscit. Variè enim illius verba explicari posse, non sine admiratione videbis apud utriusq; partis Patronos, quos omnes illius societatem ambire, an eà dixi. Erit tamen alibi locus, ubi mentem illius explicatam dabo. Inter Recentiores verò (ut nihil dicam, communiosem semper fuisse hanc opinionem) pollicem nobis premunt *Dd. Conimbr. Fonseca, Murcia, Svarrezius*, & apud hunc *Cajetanus 1. 2. qu. 54. art. 4. Capreolus, in prologo sent. qu. 3. Ferrar. l. 2. contra gentes, c. 56.* aliiq; cum *Thomista*, tum nostræ religionis Philosophi, *Scheiblerus, Horncius*, & quod ego sciam, exceptò nemine, communiter omnes.

Th. 37. Exornatus verò habitibus hisce intellectus, audit *Philosopho intellectus κατ' ἐνέργειαν*, quæ tanti quidem aliquibus Interpretum æstimata fuit, ut non nisi hæc consecutâ, intellectus seipsum intelligere possit, quæ tamen quæstio hujus loci non est, videri autem potest apud *Jul. Castellanum de hum. Intell. l. 2. c. 7. p. 35.* Aliis vero, & communiter ferè omnibus Latinis Intellectus in habitu dicitur; quod, quemadmodum nobis perinde est, ita ex utroq; denominandi modo colligere possumus, qualitatem illam, quomodocunq; vocetur, potentia intrinsecam esse, & in solis speciebus minùs rectè collocari, cum hæc prædicata intellectui ipsi, non speciebus, adjungantur.

Th. 38. Sed ex solo nomine eruere plura, opus non est, quùm præter experientiam, indifferentia hujus potentia, qualis tandem ea sit, satis superq; id probet, quæ omnino determinari & incli-

incli-

inclinari debet. Et magna præterea difficultas non rarò obicitur intellectui in veritate cum investigandâ, tum demonstrandâ, quæ usu & exercitatione actuum devinci potest. Atq; hoc, si ullibi, in arte certè evidentissimum est, quam procul dubio *Philosophus* propter hanc rationem 9. *Metaph.* atq; alibi exemplū esse voluit, ubi de potentiis agendi, usu, & exercitatione acquisitis, h. e. de habitibus ipsis differere constituit.

Th. 39. Atq; hanc sententiam tam impensè fovebant *Gregorius, Major, Almay. Angestus, Victoria, Aureolus*, citati à *D. Conimbr. in Tractat. de An. separ. disp. 4. art. 2.* ut per habitus animam adeò intendi posse crederent, ut planè insanire inciperet; & ultimus quidem, *Aureolum* dico, blasphemè putaret, Deum infudisse perditis Angelis habitum pro meritis adeò intensum, ut eos libertate privârit circa malum. Sed insaniant illi, per nos licebit, in hisce etiam de habitu opinionibus; nos certè, qui habitum potentia adscribimus, in illius etiam intensione terminum quendam agnoscimus, ne nimum sapere, h. e. insanire *Anima* incipiat.

Th. 40. Hæc omnia verò melius probari poterunt, si Adversariorum dubia, quantum poterit fieri, ad examen convocemus. Nihil verò hîc dicam de illius furfuris *Philosophis*, qui in omnibus hominibus eundem intellectum possibilem somniarunt, & ex hoc principio, habituum discrimina in solis viribus inferioribus collocarunt; quam sententiam *Ethnicorum* quibusdam ascribit *Fonsæca* in *Metaph. Arist. l. 1. c. 1. qu. 4. sect. 2. sub init.* sed dudum explosa est, atq; rejecta. Negotium potius erit hîc nobis cum Recentioribus, qui privilegio hîc intellectum exuere allaborant.

Th. 41. Cum verò duplex præcipue sit actus in intellectu, apprehensivus & judicativus, videndum est, quid in utroq; desideretur. Adstruunt verò, in neutro esse habitus; nec enim, in quiunt, in apprehensione deprehenditur, quia à specie objecti ad hanc necessitatur, quæ propter evidentiam suam aliquando intellectum determinat, aliquando quidem propter dubiam adhuc certitudinem suspendit assensum, (quod in opinionibus suo modo fieri consuevit, quos hoc propter *Suarez. cit. l.* non virtutes vocat;) quem tamen imperium voluntatis, quod extra intellectum est, non facilis.

litas habitus, potentiae intrinseca, in actum deducit, quae de causa  
etiam cujusdam impotentiae, non verò difficultatis in hoc casu  
potentiam arguit *Mendoza disp. 16. de An. sect. 2. §. 5.* Adhibito ita  
semel iudicio, species illius in intellectu relictas ad illud idem de-  
terminare dicunt, quemadmodum praemissae ad conclusionem ex  
iisdem evidenter eductam; & sicut in assensu super re tantum pro-  
babili; ita etiam in conclusionis probabilis illa ratione voluntatem  
exercere dictaturam, assunt. Videantur *d. l. Mendoza, Arria-  
ga, disp. 9. de An. sect. 2. subs. 1. n. 30. & subs. 2. tota Carleton, disp. 28.  
de An. sect. 2. n. 1. 2. 3. Oviedus, controvers. 14. de An. punct. 2 §. 2.*

Th. 42. Reponimus autem ad hoc ex *Dd. Conimbr. cap. 1.  
poster. Arist. art. 4.* intellectum quidem naturaliter operari; lati-  
tudinem tamen aliquam esse inter potentias naturales, cum quae-  
dam ab objecto simpliciter excitentur, uti praeter potentias rerum  
inanimatarum sensus externi; quaedam vero actum reflexum quod  
habeant, h. e. moveantur ob aliquam rationem cognitam in ob-  
jecto, uti accidit potentiis, quae appetunt & iudicium ferunt, & hoc  
propter indifferentiam, & consequenter determinationem partici-  
pant, quae per habitum praestari debet.

Th. 43. Deinde, quae ratio me maximè urget, hanc hypo-  
thesi admissa, differentiam planè videre non possum inter facilem  
apprehensionem, quam naturae communiter adscribimus, & inter  
iudicium, quam distinctionem non sine ratione vulgò admittimus.  
Si enim in sola speciei claritate facilitas intelligendi collocetur,  
quid obstabit iudicio etiam pollere eum, quem naturae bonitas fa-  
cilè aliquid apprehendere docuit, cum utrumque, secundum opini-  
onem hanc, in specie clariùs expressa constitutur, quod experien-  
tiae maximè repugnat.

Th. 44. Potius exinde argumentum deduco contra Ad-  
versarios: Quemadmodum prior illa apprehendendi facilitas na-  
turalem potissimum aptitudinem dicit: Ita iudicium, praeter eam,  
acquisitam simul qualitatem denotat, quam habitum commu-  
niter appellamus, & exercitatis sensibus praecipuè attribuimus.

Th. 45. Quamquam, quòd benè notandum est, per actus  
etiam apprehensionis habitum generari, non negemus, cuius sen-  
tentiae, d. absq; socio, *Murcia est cit. supra l.* Probat hoc ille,  
à fa-



à facilitate, quam quis experitur in apprehensione ex assiduitate actuum, & in hoc dicit nullam agnosci majorem certitudinem, quam in facilitate judicii. Imò assererem necessitatem hinc adesse maximam, ut per habitus corrigatur, determinetur, facilitetur prima mentis operatio, quia hæc in nobis per lapsum maximè corrupta, à reliquis medelam iterum & sanitatis restitutionem expectat. Sed de hoc alibi.

Th. 46. Atq; ad hæc, quæ diximus, videntur respicere præcipuæ *Suarezij* probationes, quando (1.) duo requirit ad habitum, aliquid à parte objecti, quod à *Thoma* illius similitudo, & communiter species intelligibilis dicitur; & aliud à parte potentiae, quod *Thomas* similitudinem à parte potentiae, & communis Authorum consensus habitum nominare consuevit: Et (2.) habitus à speciebus diversos esse asserit, quia ad legitimum earum usum facilitant.

Th. 47. Hæc omnia, inquam, eò tendere videntur, & à responsionibus *Arriagæ d. disp. sect. 2.* totâ hinc etiam modò facilius liberari possunt. Reponit enim ad utramq; , difficultatem omnem provenire à sola specie, & per eandem etiam clariùs expressam omninò tolli, quod *d. supra loco Carleton* exemplo potentiae visivæ declarat, quæ à specie impressa omninò rapitur ad videndum, nec illâ positâ, non potest non videre.

Th. 48. Sed contra: Cur non omnis ille, cui clarè species proponitur, & à quo clarè etiam, & per plures actus percipitur, eisdem etiam rectè, uti loquitur *Suarez*, uti potest, h. e. facile & rectè, i. habitualiter judicat, quæ duo se necessariò non comitari, experientia suadet. Certè, ex parte objecti species suo defungitur officio, ut defectus in solam potentiam refundi possit. Imò illi, qui facile etiam acquirunt habitus, primùm post acquisitionem objectorum species in ferendo judicio difficultatem deprehendunt, inde difficulter, magnoq; cum labore præstant id initio, quod deinceps illis ferè non animadvertentibus, ultrò decurrit.

Th. 49. Et *Arriagæ* aliquo modo prævidisse hoc argumentum, ex eâ ratione mihi videtur, quod in *num. 35 cit. disp. subsect. 2.* actionis hujus facilitatem & discurrendi promptitudinem referat ad humorum consumptionem, & Spirituum animalium perfectio-

C

nem,

nem, secundum quas anima in corpore existens indies melius & facilius inveniatur, & in diversis etiam subjectis quoad hoc variare solet.

Th. 50. Sed partialem tantum, & minus principalem causam exprimit, quam liberaliter illi largimur. Et, quod ipse fatetur circa fin. n. 35. effectus hic facilitans habetur in rebus, de quibus habitum nullum habuit intellectus. E. non loquitur adæquatè de quavis discurrendi facilitate, quam quidem hic in ordine ad res intellectas, potissimum consideramus, ut pote, cum ex actibus prioribus enascatur habitus, atque resultet.

Th. 51. Taceo plura quæ inde absurda promanarent. Certè, contra *Philosophum* dirigeretur hæc assertio, quem supra *ὀμολογῶν* habuimus, qui suum etiam calculum in *contextu 8. lib. 3. de An.* iterum nobis adjicit, ubi intellectum in habitu majorem asserit habere operandi potestatem, quam prius. E quibus verbis rectè colligit *Zabarella lib. de Spec. Intell. c. 8 Aristotelem* intelligi non posse, nisi concedamus, intellectum in habitu majorem habere operandi potestatem; hanc enim intrinsicam esse potentiam, *Philosophi* verba clarissimè attestantur.

Th. 52. Nemo prætereà, quod aliàs communiter creditur, dormiens l. alio districtus munere suæ artis habitum possideret, nec architectus, nisi, quando ædificat, hanc artem suam calleret, cum illa hypothesis solis speciebus facilitatem hanc attribuat, & consequenter quid species ab habitu differat, non sufficienter declaret. Namque, infirma nimium *Mendozae* est exceptio *dict. d. sp. sect. 2. §. 7.* quæ dicit, officium hoc præstare species, non quia non sint necessariae simpliciter ad actus intellectus, sed propter facilitatem, quam tribuunt potentiam ex modo representandi objecta. Quicquid enim dicat, nondum tamen de facilitate potentiam intrinsicam omne removet dubium, in quo rei cardo vertitur.

Th. 53. Crederem itaque, remotis hisce objectionibus, iudicium habituale eò ferè modò peragi, quò v. g. ille, qui promptissimè legit, unicò momentò plures syllabas perlustrat, & artificiosè conjungit; ut hic Syllabæ in intellectu speciebus, earumque usus lectionibus respondeant. Æquè enim, ac puer in legendo, magnam sentimus difficultatem in demonstrando, donec usu  
& exer-

& exercitatione actuum facilitas acquiratur & promptitudo.

Th. 54. Ut exindè facile appareat, cur, (quod ultimò contra *Svareziium* disputant, *Mendoza & Arriaga d. l.*) non æquè in species, ac qualitatem illam, habitum, denominatio ab actibus derivetur, ut habituum aliqui practici, speculativi alii dicantur. Immedietas enim, ut cum iis barbare loquar, quæ in ordine ad actus in habitualibus hisce qualitatibus conspicitur, præ speciebus, hoc privilegium jure qf. hæreditario habitibus attribuit. Et, quamvis immediatio quædam inter species & actus etiam intercedat, ea tamen talis est, ut actus potiùs à specie recipere aliquid teneatur, non viceversa; est enim ille hujus filius aut effectus qui causæ simul denominationem non raro tq. insigne quoddam refert.

Th. 55. Ipse etiam *Arriaga*, & ex eo *Oviedus* sibi ipsis obijciunt facilitatem aliquam experimentalem, quæ fortè admitti posset, si non formaliter, h. e. determinando, tamen efficienre, concurrèdo, & potentiam adjuvando. Sed diversò modò respondent. *Arriaga* admittit ut possibilem, sed simul rejicit, ut supervacaneam, cum speciebus hoc omne attribuat, quicquid facilitatis in intellectu agnoscit. Vide *disp. cit. subst. 3. in var. n.*

Th. 56. *Oviedus* verò regerit id, quod *Arriaga n. 38.* rejecerat; effectum habitûs esse non tantùm adjuvare potentiam, ut minori conatu effectum producat; sed illam inclinare ad effectum producendum, illamq; allicere, ut effectum producat, *controv. 14 de An. punct. 2. num. 5.* Reddit etiam rationem, cur minor conatus potentiæ non sufficiat ad effectum habitûs, quia hoc proveniat ex majori virtute agentis, & ex multitudine agentium, et si ejusdem ordinis; Duo enim, pergit, homines minori conatu portant lapidem conjuncti, quam unus seorsim eundem lapidem portaret. Quod simile suò etiam modò nobis favet; quemadmodum enim duo homines faciliùs sunt ferendo oneri; Ita potentia cum habitu est expeditior ad agendum.

Th. 57. Sed esto hoc. Quod argumenta ipsa attinet, *Arriaga* satisfacimus suprâ, ubi possibilitatem non tantùm, d. existentiam hujus habitûs, & experienciâ, & ratione adstruximus. *Oviedus* verò (cui jungere possum *Compt. disp. 28. de An. sect. 1. n. 5.*

& *Francisc. bonæ spei disp. ult. phys. resol. 2.*) litem facit de nomine, cujus nausea *Arriagam* responsionem hanc relinquere iussit. Illi enim adhuc à *Fonseca*, *Murcia*, aliisque objici posset, constitui, absolvi habitum, remotâ inclinatione, in sola facilitate, quæ eorum sententia est, & suprâ à nobis allata, sed etiam rejecta fuit.

Th. 58. Remotâ itaque hâc etiam responsione, nego contra utrumque; & omnes hujus sententiæ Fautores, intellectum nostrum nullô modô inclinari posse. Quamvis enim in quibusdam cognitionibus l. assensum l. dissensum necessario adhibeat; præter eam tamen latitudinem, quâ suprâ reliquas potentias superabat, indifferentiam quoque ad verum & falsum ex seipsa habet, quæ per habitus omninò tolli debet.

Th. 59. Ut nihil hîc dicam de eâ indifferentiæ participatione, quam plures à voluntate in intellectum trahere solent. *Ovioidus* quidem in difficultate de appetitu sensitivo in homine *punct. 2. §. 1. n. 8.* negat illam sufficientem esse, ut respectu illius habitus constituatur, propter hanc rationem, quia intellectus non immediatius participet hanc indifferentiam à voluntate, nec tamen habitibus est præditus: Sed hâc probatione, quia nullibi probata est, nihil aliud certè efficit, quàm quòd petitionem principii expressè committat.

Th. 60. Nec consistere potest illa participatio in solâ voluntate dominante, ut communicare diceretur indifferentiam, quando assensum intellectus cohibet, quod intendit *Mendoza disp. 16. de An. sect. 2. §. 5.* Hôc enim modô nec intelligere possum participationem, nec distingvere scio hanc ab illâ participatione, quâ extrinsecè omnino locomotivæ aliisque; extra hominem existentibus imperare solet.

Th. 61. Atque his suspensi dubitationibus, intellectuales habitus Recentiores negant. Nulla tamen omnino, neque inter Veteres, neque inter Recentiores exorta fuit dubitatio de Voluntate, quæ libertatem suam tot actionibus professâ, atque attestatâ, omnium accipit calculos, ut habituum sedes atque domicilium denominetur. Profitetur se consentientem, *Philosophus 2. Ethic. c. 5.* & in pluribus locis similibus, quæ omnia, uti cæteros Autores citare, superfluum judico, quum omnes hîc amicè conspirent. Imò, *Fonseca in Metaph. Arist.*

*Arist. l. 9. c. 5. q. 1. s. 2.* dicit ad divinam providentiam pertinere, ut in nobis, qui rationem ducem sequi debemus, aliquid sit institutum, quò in subitis motibus, in quibus deliberandi locus non est, parati esse possemus ad rectè & rationi convenienter agendum.

Th. 62. Ratio verò à priori communiter desumitur ab indifferentia hujus potentiae atq; libertate, quæ vulgò duplex est, una contradictionis s. quoad exercitium actus, altera contrarietatis, s. quoad specificationem actus, quæ determinandæ sunt & facilitandæ quæ habitus, quos eleganter ideò *dict. disp. s. 3. §. 8. Mendoza* quasdã qf. preces præcedentium actuum vocat, quibus voluntas flectitur & emollitur ad similes eliciendos, ne pereat memoria præcedentium. Illi quoq; Autores, qui facilitatem intellectus in specie locare solent, in voluntate hoc negant, partim quòd amissò habitu, retineatur Species, partim, quòd species etiam de objectis contrariis in eodem subjecto intellectu sc. simul consistere possint, quod habitibus repugnat.

Th. 63. Ut silentio hinc involvam, omne bonum, saltem particulare, atq; arduum, quod in hac vita voluntas nostra appetere solet, concipi posse, cum aliqua difficultate, quod aliqui etiam ad ipsam beatitudinem nondum obtentam extendunt (neq; enim saltem sine aliqua difficultate acquisitionis repræsentatur, uti loquitur *Fonseca d. l. qv. 3. sect. 3.*), ideoq; opus est habitu aliquo, quò voluntas faciliùs & promptiùs illud expectat, superatã scilicet difficultate atq; tarditate, quam in se experitur ad illud obtinendum.

Th. 64. Atq; hæc est omnium ut dixi, sententia, Solus *Ovidius* negat exercitii gratiã præter objectorum cognitionem & solas species intelligibiles dari in voluntate habitum, atq; ita facilitatem omnem, quam v. g. in justitia *Aristides*, *Pompeius* in fortitudine &c. deprehendunt, absolvit in sola fortitudinis & justitiæ cognitione. Allegat consentientem *P. Lugon. de Incarn. disp. 16. sect. 7. n. 119.* & tres Recentiorum, ex *Arriaga*, quos tamen neuter nominat.

Th. 65. Probat hoc (ut discursum illius ex *toto punct. 3. contrav. 14.* contraham) quia eodem modo voluntas faciliùs fertur in objectum, quò fertur simpliciter. Sed simpliciter fertur per solam cognitionem objecti boni invitantis voluntatem ad amorem, & negationem alius cognitionis magis retrahentis voluntatem ab a.

more, l. invitantis ad oppositum. E. etiam facilius. Connexio probatur, quia facilius ferri in objectum dicitur voluntas, quando facilius in illud trahitur; sed, quò major est cognitio invitans, & minor retardans, voluntas magis trahitur ad amandum objectum. E. facilius feretur in illud actu amoris, quia, sicut cognitio boni inclinatur ad amorem; ita major cognitio s. ex parte actus, quia est intensior & vivacior, s. ex parte objecti, quia tendit in magis bonum, magis inclinabit voluntatem ad amorem: Voluntas a. quò magis est inclinata ad amorem, facilius in illum prorumpet: Idem dicendum est de cognitione mali respectu odii, s. displicentiae.

Th. 66. Hanc tamen consequentiam, licet optima appareat, constanter nego. Quemadmodum n. primus intelligendi actus maxime dependet ab objecto, & à potentiâ nondum habitualiter facilitata: Non tamen sequitur: E. omnes succedentes actus ab objecto & potentia eodem modo dependent: Ita pr. or illa voluntatis attractio ad amorem, ab objecti quidem propositione oritur; Nulla tamen sequela est, E. sufficit hæc sola ad succedentes etiam actus. Potius hoc sequitur: Quemadmodum in primo intelligendi actu præter speciem debet adesse perceptio & attentio potentiæ: Ita in sequentibus, iisdemq; facilitatibus à parte potentiæ requiritur facilior etiam attentio aut perceptio, quæ sequela adhuc fortius in voluntate obtinebit.

Th. 67. Fucum hinc quidem opinioni suæ inducit, quum clariori bonitatis perceptioni (quæ per plures actus acquiritur) promptiorẽ voluntatis assensum adscribit, remotâ omni intrinsecâ facilitate. Sed fucus est. Fateor quidem, per plures actus cognitionem hujus l. illius bonitatis illustrari, & quò clariùs proponitur objectum, eò magis illud movere voluntatem, sicq; species subinde effectivè inclinare potentiam remotè uti loquitur *Carleton dict. diss. & sect. n. 5.* Nego tamen, extrinsecum hoc, ut sic loquar, lucrum voluntatem ita locupletare, ut promptitudine inclinandi circa actionem se exercere possit, quum aliàs ex opposito major malitiæ cognitio facilitatem deperdere, saltem remittere deberet, quæ illius etiam sententia est, & à nobis & experienciâ negatur, quæ, si opus esset, exempla suppeditaret quibus hoc probari posset.

Th. 68. Nec obstare potest, actus sæpè repetitos habitum non sem-

semper producere, & eò difficilius sæpè objectum amplecti voluntatem, quò pluries illud apprehendit, quod contra nostram & communem sententiam affert *Oviedus n. 18. diel. disp.* Nihil inquam obstat; Quemadmodum n. ipse non admittit in sua sententia nudam bonitatis l. malitiæ cognitionem, sed talem requirit, quæ actu elicitò voluntatem ad objectum trahere & allicere potest; Sic n. respondet *Arriaga*, qui objecerat, Christum Salvatorem habere vitia in summo gradu, positò, habitus consistere in nudà malitiæ cognitione: Ita ego affirmarem voluntatis habitus, produci per actus, d. per eos tantum, qui bonitatis; ut sic loquar. pondere graves in potentiam liberam, qualis voluntas est, facilitatem imprimere valent, & inclinare possunt. Sicut enim Christus illi vitiosus non est, ob perfectissimam vitiorum cognitionem, quia cognitio hæc non est practica eundemq; ad objectum pertrahere non potest: Ita mihi ille non acquirit habitus, qui pluries actionem repetit, nisi actio illa aliquà objecti convenientiâ devinctam sibi & familiarem reddit potentiam, uti per experientiam patet.

Th. 69. Sumamus jucundum pariter & clarum exemplum, quod *Arriaga disp. cit. sect. 3. subf. 2. n. 54.* jejunii fortè quoad agesimalis peccati us, affert de jejunio & perdice illudq; h. m. hinc adhibemus. Jejunii actio sæpius repetita facilitatem jejunandi, & inclinationem voluntatis ad similes actus non producit; benè tamen iterata sæpius perdicis committio. Ratio est, quia conveniens judicata fuit posterior hæc actio à Voluntate, secus prior, quam multis modis inutilem, & sibi adversam percipere potuit.

Th. 70. Et nisi pagellæ ratio habenda esset, facilè hinc & prolixè refutare possem reliquas objectiones, quas κατὰ τὸν Ἰωάννην hinc profert *Oviedus*. Nullo enim modo sequitur: Bruta appetunt absq; habitu, E. homines etiam quoad appetitum rationalem. Illa n. in brutis spontaneitas, ut ita loqui liceat, respuit habitum, quem optimè tamen admittit, imò requirit libertas & indifferentia in voluntate humana; tantum abest, ut appetere soleat sine hæc facilitate.

Th. 71. Nec aliquid contra *Vazquez* obtinere potest. Quamvis n. hic sapientissimus Pater, uti *Oviedus* illum vocat, assuetudine actuum supernaturalium species indies facilitare potentiam ad similes actus, sine aliis habitibus acquisitis, expressè asserat *1. 2. disp. 70. n. 47.* *Oviedus* tamen ad habitus naturales concludere non potest, cum

cum

cum ipse in simili negotio aliis hunc obicem ponat, *punct. 3. n. 3.* & ineptas vocet consequentias, quas deducere volunt ab habitibus infusis ad acquisitos, tanquam diversorum generum habitus; & declarat hanc ineptitudinem hoc exemplo: Homo potest producere alium hominem, E. lignum potest aliud lignum producere. Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Th. 72. Nec *Svarezius* hic proprio, quod intedit, gladio jugulare potest. Admittit quidem ille in eodem habitu, in diversa tamen materiali, objecto diversam facilitatem, sed omnimodè extrinsecam; quæ, quemadmodum habitui tq. facilitati potentia intrinsecæ obesse non potest: Ita argumentari non possum ab eadem extrinsecâ ad intrinsecam negat, vè, illâ admittit, hanc negare non possum; Exemplo res est manifesta. Temperans esse possum circa potum, & non circa cibum, quæ facilitas ponitur *Svarezio* in diversa materia: quomodo verò exindè facilitatem habitus, potentia intrinsecam negare, & extrinsecam illam, l. aliam quamcunq; sufficientem mihi imaginari poterò? Certè non video.

Th. 73. Taceo plura absurda, quæ indè propullarent. Fortassis tamen huic nostro *Lojolita* experientia aliæ suppetunt, utpote qui ordinis sui regulas cœcâ, uti vocant, obedientiâ apprehendere, iisq; cognitâ ex omnibus viribus se convenientem gerere tenetur, ubi libertas voluntatis exigua erit, & minùs conspicua; aut, si perfecta, bonitatis cognitio ad habitum requiritur, nunquam illi in religiosis hisce, uti vocant, actionibus habitum acquirere poterunt, cum l. talpâ cœciores hîc obedire teneantur; Tantum abest, ut objecti bonitatem perfectè perspiciant. Sed relinquam hoc illi cum sociis suis ventilandum, qui illi contradixerunt. Nos intereâ in actionibus his voluntariis majorem agnoscimus indifferentiam & hoc propter ignorantia l. malitiæ accusamus *Dd. Complut.* qui *disp. ult. de An. q. 1 sub init.* Libertatem voluntatis in spiritualibus & naturalibus stupidè confundentes, *Lutherum*, ejusq; sequaces libertatem hanc negare, iniquè asserunt.

Th. 74. Sed manum de tabula. Depinximus ita subjecti naturam, quod habitus desiderant. Ea verò, quæ modum acquisitionis spectant, cum prolixiora sint, quàm ut charta hæc excipere possit, alio tempore, Deo & Superioribus faventibus, in apicem producemus.

#### COROLLARIA.

1. Propria non possunt naturaliter separari.
2. Rectè constituitur à Philosopho Virtus in mediocritate.

*Coll. diss. A. 1, misc. 71*